

Universidad Complutense (Alcalá de Henares)

**Complutensis Vniuersitas, pleno doctorum
conventu coacto, omnem communionis speciem
cum doctoribus parisiensibus apostolicae
constitutioni Unigenitus non parentibus rescindere
statuit.**

Compluti : in Universitatis Typo-graphia, 1718.

Vol. encuadernado con 17 obras

Signatura: FEV-AV-M-01418 (02)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización


<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente



COMPLUTENSIS
VNIVERSITAS , PLENO DOCTO-
RVM CONVENTV COACTO , OMNEM
communionis speciem cum Doctoribus Pa-
risiensibus Apostolicæ constitutioni
VNIGENITVS non parentibus
rescindere statuit.



VRIBVS nostris audivimus, & qui pro
 Patribus nostris Ecclesiæ nati sunt fi-
 lij, anuntiaverunt nobis opus, non sa-
 nè quod in diebus antiquis Dominus
 sit operatus; sed quod Dæmonis ope,
 & astu infelicia quædam ingenia in-
 felicius moliuntur hâc ipsâ vel inde satis miserabili tem-
 pestate: fascinatos, nempè, aliquot Parisienses DD. nè
 Apostolicæ Constitutioni, cui initium: VNIGENITVS
 DEI FILIVS datæ Romæ sexto idus Septembris, elap-
 si iam pridem anni 1713. quâ par erat, assentirentur
 obedientiâ; quin de Romani Pontificis infallibilitate
 non probè sentientes, præfatæ constitutioni reluctan-
 tur, &, abyssō abyssos invocante, ipsum Romahum
 Episcopum Generali Concilio submittendum putant, vt
 exinde prædictam Constitutionem vi exuant obligandi,
 vel saltem à Generali Concilio, & Ecclesiæ acceptatio-
 ne reddant precariam, nunc iam præter omnis pudoris
 speciem evomentes tetur illud virus, quod, quibus-
 dam miserandis ingenij propinatis, iam pridem ebi-
 berant,

berant, & in alto cordis secreto callidâ malignitate con-
coxerant. Hinc nefas illud admittunt interponendi ap-
pellationem ad futûrum Generale Concilium : quæ om-
nia , cùm è DD. prodeant , qui non nisi Sacrorum Bi-
bliorum , & Conciliorum assiduâ evolutione præmissâ,
in tanto negotio affari præsumperint : in eam nos , vel
invitos , adulere sententiam , vel ad minimum suspicio-
nem , quòd , scilicet , eorum de grege sint , qui , vt ex
Evangelio novimus , *Foris sunt* , & *videntes non vident*,
& *audientes non intelligunt*.

Vt autem specie germanæ consequutionis suam
deformem inobedientiam colorent , defecatum vniversa-
lis Ecclesiæ approbationis causantur , & veluti in eis non
satis superflueret iniquitas , vtque apponant iniquitatem
super iniuitatem , eamdem in nobis configere pergunt ;
quam tamen eorum propriæ potius imponunt . Sacrum
illud nostrum silentium , quo Apostolicam sanctionem
VNIGENITVS (sicut erga omnes à Sacrâ Sede pro-
venientes mos semper in Hispanijs laudatissimus inva-
huit) Vniversæ Hispanienses Academiæ demississimè sunt
reveritæ , criminis vertunt , quasi altum hoc conticinium
speciem quam piam recusationis suæ eorum per similis ,
& complicis adumbret . Iniuriam alioqui immanem fa-
cile condonamus : quippè qui , optantes vincere in bo-
no malum , & pro malis bona retribuentes , talia pro eis
ardentissima ad Deum protendimus vota : utinam , Do-
mine , saperent , & intelligerent , Hispaniensi silentio
potiorem esse non posse fidei cultum , cuius Regnum ,

nè divisum desoletur , pace filiâ silentij custoditur , vt-
potè illius beneficio præter omnem fœientis arenae su-
dorem firmissimè stabilitur , argente pro nobis Pro-
pheta , qui eo loci haud obscurè huius nostri silentij fe-
licitatem præsagivit , quo prædicebat : *Et erit opus iusti-
tia pax , & cultus iustitiae silentium , & securitas usque in
sempiternum.*

Ansam nobis offert hoc Prophetæ oraculum , sed
an nè lacesendi id genus DD. vt nobiscum ineant sin-
gulare certamen à Minimè verò . Nec tamen , quod eo-
rum despectum , quo Gigantum more superbientes no-
biscum velut pueris digladiari dedignantur , pertimes-
camus: ex ore quippè infantium (divinus id Psaltes pan-
git) perficit Deus laudem , vt perditum eat inimicum:
ergo nè scriptis eosdem , eorumdemque miserandos
errores confutandi ? Nec adhuc : quippè habent Pro-
phetas ; quos tamen non audiunt : et si vel quis è mortuis
prædicaturus resurgeret , ipsum audituros , penè despe-
ramus . Sed eos provocandi , haud equidem verbo Doc-
trinæ , vel scriptis , quorum apud nostrum cœlum divi-
nâ largitate ingens copia viget ; sed Sacro illo silentio ,
quod ipsi malè torquent . *Ad hunc iustitiae cultum* (verba
damus Bernardi ad præmissum Esaiæ locum) *& ad hunc*
omnium virtutum Matrem te , & quicunque tui similes pro-
ficere cupiunt in virtutibus , in vito , & pro voco , et si non ver-
bo Doctrinae , certè mei silentij exemplo , ut vel silentio do-
ceam te silere .

Estò autem non celeri ; pari tamen ad nos gressu
adven-

6
adventarunt, & silentij calumnia, & tempus effandi.
Cùm etenim, Div. Thoma Præceptore, noverimus,
tunc fidei, quâ corde creditur ad iustitiam, oris ad fa-
ludem confessione opus esse, cum de conticentium fide
non illibata apud alios manet opinio; vbi accepimus nos-
trum Sacrum silentium à malignantibus sauciari, lo-
quendi tempus instare existimamus. Quare labia nostra
silentij ligamine solventes, iam sermoni indulgemus, &
vocem quasi tubæ exaltantes, vnâ omnes vnius cordis,
& vnius labij voce clamamus: & hic hic, si alicubi, ver-
borum, & vocum tumultus, nedum copia deceret, vt
identidem ingeminaremus: SENTIMVS, CREDI-
MVS, ATTESTAMVR, ET PROFITEMVR: Pon-
tificem Summum, dum è Cathedrâ, vt Vniversalis Doc-
tor suum, seu, quod perindè est, Dominicum gregem
in fidei, & morum rebus instruit, esse prorsus infallibili-
lem etiam extra Generale Concilium, & citrà Vniver-
salis Ecclesiæ approbationem ob Divini Spiritus assisten-
tiam, quam Div. Petro, eique successuris, & promeruit,
& oratione impetravit Iesus-Christus pro suâ reverentiâ
exauditus à Patre. ET PRO HVIVS VERITATIS
DEFENSIONE IVRIS IVRANDI SACRAMEN-
TO CORDA NOSTRA LVBENTISSIMI DE-
VINCIMVS. Quod effectus ipse testatus est: præmis-
sâ quippè solemniter huius iuramenti Religione ab
Illustrissimo N. Rectore; successit eâdem solemnitate
DD. omnium iuramentum, exigente, & excipiente ipso
Illustrissimo D. Ea propter vbi ad nos pervenit Aposto-
lica

7

Sic a SS. P. N. CLEMENTIS constitutio, VNIGENITVS, illam obedientiae vlnis reverentissimi excepimus, paremque ei obsequiam adhibuimus, ac cæteris à sui Prædecessoribus, & D. Petri successoribus expeditis. Fiant hoc pacto silentium linguae dissertæ, & obstruantur os loquentium iniqua, atque utinam omnem in terram noster huius veritatis sonus exiret, quam quæ pœnæ vocum fragore, & frequentia fauces nostræ raucesceren. Esto namque noverimus, firmissimam hanc veritatem, quam nos in Divinis profitemur, apud nonnullos huius naturæ firmitate orbata inveniri: iuxta etiam novimus infelicia talium ingenia, tam male apud Catholicos audire, quam apud Hetherodoxos probantur. Et si qui tandem sunt è Catholicis talibus consentientes; eos tamen male feriatos, & infelicem impendisse operam, & miserè dormitasse, deflemus. Id bonâ omnium pace dixerimus: ut potè nos id genus portentis insuetos, vel saltem omnibus insuictiores eisdem amplius offendit, quædam necessitatis specie contingit.

Enim verò nostra Complutensis Vniversitas sat is, superque grata, quæque subinde turpissimæ oblivionis tenebris traddere nunquam poterit suam pœnæ insignem amplitudinem; quæ tamen operâ altissimæ illius mentis Eminentissimi sui Erectoris, dum in terris degret, nullo invidente, magnanimi; nunc in Cœlis, piè omnibus credentibus, gloriost felicibus, quod aiunt, avibus Parisijs pœnæconcepta, ut Compluti oriatur eximia: in huius periucundæ memoriæ monimentum, de
more

more habuit Parisienses DD. si qui eam salutarint ; ci-
 viliter excipere, adsciscere in suis, nullumque alium ei-
 dem præire , præter Illustrissimum Rectorem , & facul-
 tatis Decanum , arguendi copiam , si contendere lubeat,
 ipsis impertiri , distributiunculis demùm , quæ apud nos
Propinas audiunt , illos donare. Quæ omnia fortassis nos-
 træ Vniversitati , quam Parisiensi glorirosiora non insi-
 ciabimur , vt potè eidem nostram , vt nuper fatebamur,
 filiationis vinculo adnexam gaudemus , & (penè dixeri-
 mus) iactitamus. Quotusquisque vel ex his non de-
 duxerit, quād doluerimus , vbi aliquot DD. Sacrae Sedi
 in obedientiam accepimus ? Spe tamen de sui resipientiâ
 dolor noster quādam tenus mitigabatur , nec Commu-
 nionem nostram , tam præproperè rescindendam arbi-
 trabamur : cum tamen diutina animorum protervia , al-
 tis iam radicibus iactis , quidquam prohibet sperare , è
 re nostrâ esse ducimus , quam nuper referebamus , nec
 studini modos adhibere. Nec tamen præfatum morem
 cohibere pergitus calumniâ illâ , quam accepimus , de-
 coxi : quippè qui ab auditione malâ non timemus , nec
 exciti dolore , quasi ægrè feramus opprobria exprobran-
 tium Pontifici (vicem Patri filiali humilitate rependi-
 mus) super nos cecidisse ; sed zelo fidei perculsi , à quo
 exedi , & pasci perardenter optamus , sed tabe , quâ pe-
 nè deficimus , quod Parisienses illi DD. Deo facti inimi-
 ci , ipsius Domini verba , quibus sui Vicario adsidere
 spopondit , sunt penitus obliti : Divinis tandem iussioni-
 bus , velut æstro perciti , quas per Esaiam audimus : *Dis-*
solre

3

Solrē colligationes impietatis. Arbitramur quippe Universitatis Parisiensis verē arduæ, Regiæ, & generosæ Aquilæ, non ingenuam, sed prorsus degenerem progeniem esse DD. illos, qui Apostolicas Sanctiones præpeti obedientiâ non prosequntur. His ergo longissimum dicimus vale, horum colligationem dissolvendam putamus, Divinis monitis obsequentes; erga eiusdem verò Universitatis probatos, & ingenuos alumnos, & habuisse exultamus, & retinere gaudemus, & perennare cupimus sanctum illud, quod iam diù altè in præcordijs sedit, amicitiæ fædus, ut vel sic clareat, non nisi immanibus dolorum morsibus corda nostra vexata cum inobedientibus DD. ire fædera dissolutum, & sententiam hanc, alioqui acerbam, divum vnicè zelum extorsisse: *Alieni enim erroris* (verba sunt cap. alieni i. c. 3. quæst. 5.) *Societatem se et antem, vel à sui propositi tramite recedentem, aut Apostolicæ Sedis iussionibus inobedientem suscipere non possumus quia inter fideles, & infideles magna debet esse discretio.*

Quia ergo in Parisiensibus DD. (vt accepimus) hinc probati, & obedientes; hinc verò sunt effrænes, Sacrumque obedientiæ iugum succutientes; vt deinceps dubitatio abigatur, & quo ad possimus, eminus faciamus quidquid, vel nolumus, vel horrescimus, probè noscentes, esse nullam posse Societatem lucis ad tenebras, gratiasque agentes Iesu-Christo, & Patri per ipsum, cuius plenissimo dono eruti sumus de tenebris, vt essemus lux in Domino non aliter quam per fidem, &

obedientiam Apostolicis sanctionibus nunquam non
 praestitam: decernere pergitus omnes, & statuere in
 pleno DD. Conventu, sive Claustro, pridianâ citatio-
 ne iuxta morem ab Illustrissimo Rectore præmissâ, die
 28. Ianuariâ excurrentis anni coacto, quod deinceps
 nulli omnino liceat Doctori, seu Pedello, Ceremonia-
 rum vè Magistro Parisiensem ullum Doctorem invita-
 re, aut in nobis consedendi copiam concedere, nisi
 præmisso iure iurando, sub cuius Sacramento coram Il-
 lustriſſimo Rectore circa recusationem constitutionis
VNIGENITVS, se se profiteatur inſontem, & de Ro-
 mani Pontificis infallibilitate nobis consentientem. Ne-
 autem Parisiensis Doctor (si quis nostram Vniversita-
 tem veniat salutatum) iuris iurandi ceremoniam dede-
 cori tribuat, illum præmonitum optamus ab Illustrissimo
 nostro Rectore, veteres nullo proſus modo in honoras-
 se fideles illos, qui infidelibus convivebant, dum à fide-
 libus illis deposcebat Epistolam, quam formatam voca-
 bant, & in eâ, quæ sequuntur, verba legebantur: *Pater,*
Filius, Spiritus Sanctus, Petrus amen. Neque Orthodo-
 xos illos probro duxisse huius naturæ ritum, quo notes-
 ceret admittendorum fides, eorumque in Div. Petrum,
 & successores observantia. Vnde nec mirum, nos Epis-
 tolæ illi iuramentum suffecisse, quo Vniversitas exami-
 net Doctoris sibi adscendendi fidem, nec propriam
 ipsius fidem, vel minimâ contagione polluat, & comma-
 culet.

Quia tamen huius nostri statuti perennitati conſu-
 limus,

limus, vt ipsum infirmitati, oblivioni, & revocationi
 minus maneat obnoxium, enixè rogamus Illustris-
 simum nostrum Rectorem, cuius obedientiæ Vniver-
 si nos iuramenti vinculo tenemur, & cuius successori-
 bus eodem ligamine tenebimus, & tenebuntur quot-
 quot Vniversitatis corpori velint coagmentari, vt illius
 consistentiæ provideat comminationibus carceris, vel
 perpetui ab Vniversitate exulatus, quibus inevitabili
 fato subiaceant tali statuto quoquomodo contra-euntes.
 Sed vterius, vt penitus à corruptione maneat immu-
 ne, deferendum decernimus ad SS. P. & D. N. CLE-
 MENTEM XI. cuius ad Sacros Pedes totum Vniver-
 sitatis corpus per humillimas litteras provolutum sup-
 plicissimè deprecetur, vt illud suâ Apostolicâ Autho-
 ritate confirmatum velit: sic enim corruere haud qua-
 quam poterit, vtpotè ædificatum supra firmam Pe-
 tram, vt sapientum ædificium decet, ab eoque infra-
 gile, & perenne reddetur, qui iuxta Bernardi phrasin
 potestate est Petrus. Quod si (vt de amantissimi Pa-
 tris benignitate sperare licet) SS. impertiatur, nè vn-
 quam ad oblivionis tenebras amandetur, instituimus,
 vt quotquot in posterum Doctoratus insignibus hones-
 tentur, huius statuti iuramentum præmittere teneantur:
 sic enim, & Communitas, & DD. singuli eius observan-
 tiæ submittuntur, temporisque, & oblivionis iniurias
 declinamus.

Prænoscentes vterius huiusmodi statutum
 longè, latèque peregrinaturum, &, experientiâ Doctri-

ce discēntes, veritates peregre divagantes in egressu
 puras, in progressu fucatas, iam denique non veritates,
 sed fabellas ad suæ peregrinationis fines pervenire, vt
 potè lassatæ deficiunt in viâ, & ibi occursante fallaciâ,
 eas violenter denudat, vt earum se se aureâ, & pretio-
 sissimâ Chlamyde amiciat: Sicque særissimè vanum
 quodque figmentum, verigerens speciem, vt dolebat
 Seneca, veritatem se esse simulat, & vt talem admitti,
 amplexari, & hospitari consequitur: vt huic imminentî
 malo provideamus, & consulto Plauto, apud quem: *Qui
 audiunt, audita dicunt; qui vident, plane sciunt,* carentes
 nè in sui peregrinatione nostro statuto malis, quod
 aiunt, avibus contingat, æmulationem, invidiam, alium-
 vè id genus inimicum eidem obviam immittere aliquod
 commentum, quod latrunculi ad instar iter obsideat, &
 præ itineris prolixitate defessam veritatem lividis ocu-
 lis prospectans, eius amictus deprædetur, quibus orna-
 tum commentum ipsum, viamque veritari præripiens,
 vultus, & elegantiam veritatis mentitum, & audiri ob-
 tineat, & audientium fidem særâ tyrannide adipiscatur,
 omnia hæc arcenda pretium operæ duximus. Quo circa,
 non auribus, sed omnium obtutibus nostrum decretum
 offerri optamus, vt videntes sciant, & figura omnia
 veluti erubescientia totis, quod aiunt, pedibus fugiant, &
 evaneant. Publici ergo iuris faciendum nostrum decre-
 tum decernimus, eiusque Ec-typum prælo excussum à
 nostro Secretario subsignatum, Vniversitatisque muni-
 tum sigillo mittendum Illustrissimis Episcopis, Venera-
 bilibus

bilibus Decanis Sanctorum Ecclesiarum, RR. Sacrarum Religionum Generalibus per litteras, quibus nostra erga percelebrem Parisiensem Vniversitatem gratitudo veluti erga Matrem nunquam non colendam, & vel ex hoc satis honorabilem commendetur, illamque plurimi, & supra quam dicere possumus, nobis fieri, sicuti & eiusdem non degeneres alumnos; erga eos autem, qui constitutioni VNIGENITVS parere recusarunt, noster impotentissimus narretur fletus; immixtus tamen estuantissimis votis, quibus Maiestatem exoramus Divinam, ut suo de lumine, lumen illabi faciat eorum mentium aciem illiniens, & Divi flaminis digito eorumdem referet aures, vt intra Ecclesiæ Ovile Pastoris vocem fideliter excipient.

Vt tandem nostri statuti æquitas clareat, eius ad Limbum, & ante nostras subscriptiones appendatur caput illud *si inimicus i. dist. 93. cui Epigraphe: cui pro actibus suis Apostolicus inimicatur, communicare non debemus: unde B. Apostolorum Princeps Petrus in ordinatione Clementis Populum alloquens, inter cetera ait.* Vt ex hoc capite habeatur, superiora statuentes non secus segregare cum inobedientibus CLEMENTI XI. atque Apostolorum Princeps fideles omnes monuit se habere cum eis, qui primo Clementi, quem sui instituebat successorem, non parerent; caput autem iam sequitur.

Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, vos polite expectare, vt ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse

14
esse ; sed prudenter obser-vare debetis, & voluntati eius
absque commotione obsecundare , & avertere vos ab eo,
ob cui ipsum sentitis ad-versum; sed nec loqui his, quibus ip-
se non loquitur, ut unus quisque, qui in culpa est, dum cu-
pit omnium vestrum amicitias ferre , festinet citius recon-
ciliari ei , qui omnibus præst : & per hoc redeat ad salu-
tem, cum obedire cœperit monitis Præsidentis. Si vero quis
amicus fuerit his , quibus ipse amicus non est , & locutus
fuerit his, quibus ipse non loquitur , unus est ipse, qui ex-
terminare Dei Ecclesiam volunt , & cum corpore vobis
cum esse videatur, mente , & animo contra vos est , & est
multo nequior hic , quam illi , qui foris sunt , & evidenter
inimici sunt : hic enim per amicitiarum speciem , que sunt
inimica gerit, & Ecclesiam dispergit , ac vastat. Ideoque,
Charissimi, his Apostolicis institutis vos monentes instrui-
mus, ut effectu certior charitas vestra solicitus deinceps
agere studeat, & cautius, ne peruersi, & infideles homines
laedendi fideles, ac benevolos habeant facultatem.

D. D. Franciscus de Gauna & Sossa, Rector Maio-
ris Div. Ildephonsi, totiusque Vniversit.

D. D. Iosephus à Termo , Sacr. Script. professor,
& Cancellarius.

D. D. Laurentius Valentin , Sac. Theolog.
Decanus.

D. D. Ioannes Henriquez de Villacorta.

D. D. Hiacinthus Romero.

D. D. Didacus Sanchez Retuerta.

- D. D. Bernardus Benito Cartezon.
- D. D. Michael à Portilla.
- D. D. Franciscus Bravio Tamargo.
- D. D. Franciscus Campuçano Villegas.
- D. D. Ioannes de las Peñas.
- D. D. Thomas Ezquer, Scoti Primarius.
- D. D. Franciscus Pingarron.
- D. D. Joseph de Medina.
- D. D. Matheus Sanz Ramiro, Regens Theo-
log. Vespertinus.
- D. D. Emmanuel de Segura.
- D. D. Michael Martinez.
- D. D. Didacus Martin de Messa.
- D. D. Iosephus Antonius de Bozaya.
- D. D. Iosephus del Monte.
- D. D. Ioannes Antonius Ayeffa.
- P. D. Frater Chrisostomus de Vargas, Doct. Theo-
log. & Cathedræ Philosoph. Moral. Re-
gens, & congregat. Cisterc. Generalis
Reformator.
- D. D. Sebastianus de Melgar, Cathedræ Du-
randi Regens.
- D. D. Iosephus Jaurrieta.
- D. D. Iosephus Granado.
- D. D. Franciscus Blasius Casas.
- D. D. Petrus de Miranda & Ursua, Cathed. Div.
Thom. Regens.
- D. D. Laurentius Martin de Ribas.

- P. D. Fr. *Hiacinthus Ximenez de Mejorada*, Ordin. Præd. in Universitate Primarius.
- D. D. *Emmanuel Prieto Alvarez de Toledo*.
- P. D. *Emmanuel de Arias*, Cleric. Min.
- D. D. *Franciscus Ybañez Valero*, Artium Regens.
- D. D. *Iosephus Laurentius Garcia*.
- Frater Iacobus de Muñatones*, Mercenarius Monachus, & Doctor Theologus.
- D. D. *Gabriel Martinez*.
- D. D. *Balthasar Fernandez de Quiñones*.
- Frater Augustinus Gutierrez Moran*. Doct. Theolog. & Cathedræ Div. Thomæ Vespertinæ Moderator.
- D. D. *Franciscus Arzeis*, Philosophiæ Regens.
- D. D. *Emmanuel Alonso Gasco*.
- P. D. *Antonius Gutierrez*, Societati Iesu Theolog. Primarius.
- D. D. *Celedonius de Arnedo & Breton*, Cathedratus Philosophiæ.
- D. D. *Franciscus Garcia Herranz*.
- D. D. *Iosephus Alaestante*, Artium Regens.
- D. D. *Michael Lopez Garcia*.
- D. D. *Gaspar Agudo*.
- D. D. *Ioannes Joseph Cara-vano*.
- D. D. *Nicolaus de Echeverria*.
- P. D. *Frater Emmanuel Calderon de la Barca*, Ordin. SS. Trinitat.
- D. D. *Franciscus à Dana & Uclafco*.

P. D. Frater Franciscus Nisserus, Basil. Mönach.
D. D. Emmanuel Vincentius Munarriz.
P. D. Laurentius Cardenas, Societ. Iesu Vespa-
rarius Theolog.

FACULTAS SACRORVM CANONVM.

- D. D. Petrus Argaez, Decanus.
D. D. Franciscus de Leon & Araujo, Decreti
Moderator.
D. D. Ioannes Ruiz de Castañeda.
D. D. Alphonsus Castellanos.
D. D. Iosephus Carrillo.
D. D. Gregorius del Busto, Hospes Alumnus
Div. Ildephonsi, & Sac. Can. Vesperarius
Moderator.
D. D. Hilarius de Ribera Cardenal, Alumnus
Div. Ildephonsi, & Imperat Iustinian. Pri-
marius Interp.
D. D. Gaspar de Arteaga & Narvaez, Div.
Ildephonsi Collega Sac. Can. Moder. &
Vniversitatis Assessor.
D. D. Sebastianus à Pliego & Valdes.
D. D. Gaspar de Tablada. Maior. Div. Ildeph.
Alumnus.
D. D. Ambrosius de Torres. Maior. Div. Ildeph.
Alumnus.
D. D. Franciscus Emmanuel Huerta & Vega.

FACULTAS MEDICAS

D. D. Paschasius Martinez Fernandez.
Decanus.

D. D. Gregorius Alvarez, Medicinæ Ves-
pertinus.

D. D. Patritius de Herrera, Medicinæ Pri-
marius.

D. D. Ioannes de las Peñas, Medicinæ Mo-
derator.

D. D. Antonius Diaz, Cathedraticus Prima-
rius in Vniversitate.

D. D. Didacus Escamilla.

D. D. Franciscus de Alarcon, Cathedrat.
Ana-tomia.

D. D. Ioannes de Villa-Señor.

D. D. Hieronimus de Rivas Cardenal, Anato-
mista.

D. D. Galba de la Cava, Medicus, Dia-
conus, Monachus.

D. D. Hippolytus Collado, Dia-
conus.

D. D. Seraficus Diaz, Medicus.

D. D. Gerónimo Diaz, Medicus.

D. D. Alfonso Diaz, Medicus.





COMPLVTENSIS VNIVERSITATIS AD

SS. P. ET D. N.

CLEMENTEM

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAM XI.

HVMILLIMÆ LITERÆ.

BEATISSIME PATER.



SSISTRICEM Sapientiam de Sede Di-
vinæ Magnitudinis emissam SANC-
TITATI VESTRÆ coadesse , &
collaborare , etsi tot nobis non evin-
cerent Sacræ Paginæ oracula , ex
constitutione illâ SANCTITATIS
VESTRÆ , cui initium : VNIGENITVS DEI FI-
LIVS , quâ vna supra centum propositiones explodun-

tur, satis ,superque nossemus. Huius enim Sacri fulminis potentissimis ignibus,& fidelium SANCTITATIVES-
TRÆ feliciter obsequentium oculi illuminantur ,& de-
monstrorum , quæ in dies , coniuge Beliade , enititur
hæresis faucibus,nè succedanea capita hydræ æmulatrix
progerminet , Iuridus Sanguis cauteriatur. Sed enim
malignantes filij iræ nedum ignes illos non reverentur,
quibus Apostolicum S. V. Thronum fulgurientem ad-
instar Divini illius , de quo procedebant fulgura , & to-
nitrua , Beati filij lucis adorant , iuxta ac pestim escunt;
sed , & lumini , quo fulgura ipsa simul ac eiacylantur , pre-
fulgent , rebelles se se exhibere , fricatâ fronte non pu-
det. Id doluisse altissimum nostram , vel potius VES-
TRÆ SANCTITUDINIS Vniveritatem , attestatum
imus Doctores omnes ad V.S. Sacros Pedes humillimè
provoluti. Quòd autem non prius sùæ , numquam pollute
fidei testimonium quodpiam , superioribus etiam infeli-
cibus annis , S. V. Vniveritas obtulerit , id boni consu-
lat S. V. Cum enim Parisenses illos Doctores instar ag-
norum tenerorum (quo malo genio , oculo ve nequam ,
nescimus) fascinatos putaremus , ad vniuersalistandem
Pastoris ovile reduces , vt medelam acciperent , spera-
bamus : vnde , & protrahendum nobis religiosissimum
silentium , avitum Majorum morem . æmulantes , qui suo
alto silentio nobilius sùæ firmissimæ fidei specimen non
invenerunt , arbitrabamur. Cum autem spes hæc , quæ
posita erat in sinu Nostro , friguerit ; immo , & evan-
git : utpote ex ipsa silentij nostri religione , quam criminis

insimulant; & per medium ferè Europam traducunt,
 maligno astu deducebant, coerrare sibi Hispanienses
 oves, quasi per interiora deserti pascua, quā Christianus
 Moses suum minat gregem, huic errandi aditus pateret:
 ad Sacram petram recusuros arbitramur, vt statuat su-
 per eam S. V. pedes nostros, & dirigat gressus nostros,
 vt que in ipsâ petrâ exaltatis, exaltetur caput nostrum
 super inimicos nostros, super illos vē, quibus, cum an-
 tea amici essent, nunc inimicari, statuimus: oportet
 enim inter fideles illos, qui S. V. veluti Magni Abra-
 mi pientissimo finu (id Deo præstante) delitescimus, &
 inobedientes Doctores errorum tenebris immersos
 Magnum Ghaos esse firmatum: Ea propter statutum
 illud, quod confecimus, vt necessitudo illa, quam iam
 diū cum Parisiensi Nostra Universitas coluit, ad solos
 probatos eiusdem filios in posterum protendatur, ad
 Thronum ipsum, quem ipsi non adorant, nos reveren-
 tissimè adorantes deferimus: vtque penissimè consistat,
 non aliunde, quā ab ipsâ petrâ Apostolicā mutuari
 opus est firmitatem, eamque S. V. quam enixè depreca-
 mur, vt deinceps palmites illos miserè aridos, qui in vi-
 te manere recusant, à nobis humorem Sacræ Apostoli-
 cæ vitis peravidè exugentibus eminus arceamus. Sed nē
 iam pluribus S. V. morem, in publica Ecclesiæ com-
 moda peccantes, etiam atque etiam Divinam pietatem
 exoram, S. V. diū velit superstitem, vt vineæ Do-
 mini Sapiens Agricola Gallicam vitem insuavibus nunc
 horrescentem labruscis ad vbarum dulcorem perpurget;

& miserandæ oves ; quæ impræsentiarum non sunt ex VESTRÆ SANCTITUDINIS ovili , quasque VESTRAM SANCTITATEM oportet adducere , tanti Pastoris vocem audientes fiant vnum ovile , & unus Pastor . Compluti idibus Februarijs , Anni Dñi . M. DCC . XVIII .

**AD SACROS SANCTITATIS VESTRÆ ,
quos humillime exosculamur , Pedes provoluti .**

**Doct. D. Franciscus Gauna & Soffa , Rector
Maior. Div. Ildeph. totiusque Vniversit.**

Doct. D. Laurentius Valentini.

Dec. Théolog.

Doct. D. Petrus Argaez.

Dec. Sac. Can.

Doct. D. Paschalias Fernandez.

Dec. Medic.

Ex Vniversitatis præscripto;

D. Petrus ab Haro & Sotia.

Secret.



SS. P. ET
D. N. CLE
MEN TIS
DIVINA LARGI
TA TE,
PAPÆ XI.

AD COMPLVTENSEM VNIVERSITATEM

humanissimum re-scriptum . quod hisce à Tergo verbis su-
per scribebatur : DILECTIS FILIJS RECTORI , DECA-
NIS , CÆTERISQVE DOCTORIBVS VNIVERSITATIS
STVDIJ GENERALIS COMPLVTENSIS . Penita-
vero re-scripti facies , quæ sequuntur , adferebat .

CLEMENS PP. XI.

DILECTI FILIJ , Salutem , & Apostolicam Bene-
dictionem . Conscij solidę pietatis , ac veteris , exi-
mięque Vestre in hanc Sanctam Sedem devotio-
nis , nunquam profecto dubitavimus , quin constitutioni
nostræ ,

nostræ, cuius initium est: VNIGENITVS DEI FILIVS;
synceram, ac planè debitam obedientiam vtrò exhibe-
retis. Hoc porrò iudicium Nostrū egregiè confirmarūt
tum obsequētes Literæ, quas Idibus Februarij proximè
præteriti cum multâ filialis studij Vestri testificatione ad
Nos dedistis: tum etiam singulare decretū typis editum,
quo ab omni communionis specie cum DD. Parisiensibus
memoratè constitutioni non obtemperantibus abstinen-
dum vobis esse sanxistis. Vtrumque præclarum Religio-
nis, accensique zeli Vestri documentum per libenter ex-
cepimus, ac pristinæ nostræ in vos charitati non levem,
vt par erat, inde cumulum accessisse profitemur; non
omissuri, vbi facultas suppetet, re ipsâ testatum facere
quām propensam geramus in Vesta, istiusque Illustris
Universitatis ornamenta, & commoda voluntatem. Eius
interim pignus erit Apostolica Benedictio, quam vobis;
Dilecti filij, per amanter impertimur. Datum Romę apud
Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris Die X.
Maij M.DCC.XVIII. Pontificatus Nostri Anno XVIII.

Ioannes Christophorus, Archiepiscopus Amasenus.

Ec-typus hic conformis omnino est sui Arche-typo, qui
in Universitatis Carto-phylacio adseratur, cuius
ego Secretarius infra-scripus fidem facio.

D. Petrus ab Haro & Soto.

Compluti, in Universitatis Typographia,

Anno Dñi. M.DCC.XVIII.